

34  
SPECIMEN PHILOLOGICUM,  
**USUM LINGVÆ  
ARABICÆ,**  
IN  
**PERFICIENDO LE-  
XICO HEBRÆO,**  
SISTENS,

Quod,  
*Venia Ampliſſ. Facult. Philoſ. in Reg. Acad. Aboëniſi,*  
PRÆSIDE

*VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo,*  
**D. N. CAROLO ABRAH.  
CLEWBERG,**

L. L. O. O. & Græc. PROFESS. Reg. & Ord.  
& Facult. Phil. h. t. Decan. Max. Speſt.  
*Publico examini modeſte ſubmittit*

STIPENDIARIUS REGIUS,  
**MICHAEL AVELLAN,** Joh. Fil.  
TAVASTIA FENNÆ.

In Audit. Maximo die XVIII. Maji Anni MDCCLVII.  
Horis Ante Merid. in Conſvetis.

ABOÆ, Impreſſit Direc. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

*Francis Boreal: 17*

*VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo,*  
**D<sub>N</sub>. JOHANNI  
AMNELL,**

Ecclesiarum Tammelsenium *Antistiti* longe Meritis-  
simo, adjacentisque Districtus *Præposito* Gravissimo,  
Mæcenati quavis animi veneratione ætatem  
colendo, suspiciendo.

*Plurimum Reverendo at-*  
**D<sub>N</sub>. ABRAHAMO**  
Ecclesiæ, quæ DEO in Keuru colligitur,

FAUTORI PLURI-

**I***N* *benivolentia maxime beneficiorumque sibi presti-*  
*ram Specimen hoc qua-*

NOMINUM

*cultor hu-*  
**MICHAEL**

*VIRO Admodum Reverendo atque Præclarissimo;*

**D<sup>N</sup>. MAG. ANDREÆ H.  
LILIO,**

*Pastori Messæbyensium longe Dignissimo Præposito-  
que adjacentis Districtus Adcuratissimo, Nutritio  
ut Benignissimo; ita qualibet observantia & hono-  
re nunquam non prosequendo,*

*que Præclarissimo VIRO,*

**INDRENIO,**

*Pastori Meritissimo & Vigilantissimo,*

**MUM COLENDO.**

*torum memoriam; ut & mentis, venerabunda tesse-  
lecunque sacrum esse voluit.*

**VESTRORUM,**

*millimus;*

**AVELLAN.**

Plurimum Reverendo, atque Clarissimo,


**D<sup>N</sup>. JOHANNI  
AVELLAN,**

Ecclesiæ ad S. tam Catharinam V. Pastori & Sacellano  
Meritissimo, Parenti ut indulgentissimo; ita quavis  
filiali reverentia ad cineres usque colendo.

**R**ationibus, propter quas Tibi, Pater Carissime, pa-  
gellas has qualescunq; dicatas velim, exponendis, du-  
immorari, minime ere esse videtur. Ut namque pro benefi-  
ciis acceptis gratum animum erga benefactores significave-  
mus, injungit nobis ipsa natura, injungit equitas, injun-  
gunt etiam Sacræ Pagine. Tua autem, Parens indulgen-  
tissime, in me merita, tot & tanta, omnino sunt, ut fluxa  
& majora cogitare aut expetere nequeam. Hinc facere  
non possum, quin piam & venerandam, quam mente  
foveo reverentiam & adfectum publice testari coner, eni-  
xe rogans digneris, Pater Optime, vilissimum hocce  
munusculum vultu, quo soles, paterno h. e. benignissimo  
excipere, idque non ex ipso, quo prodit habitu, sed potius  
ex dignitate materiæ animoque asserentis estimare. Quod  
mearum est partium, D. T. O. M. indefinenter orabo, ve-  
lit Te Pater Svavissime, ad seram usque senectam sel-  
vum sospitemque servare, in Sui Nominis Gloriam, Eccle-  
siæ edificationem, nostrumque, quotquot tui sumus, sul-  
crum & solatium certissimum, exoptatissimum.

NOMINIS PATERNI,

cultor obsequentissimus,  
MICHAEL AVELLAN!



J. N. D.

§. I.



Omnes in universum homines, primis temporibus, eadem lingua locutos esse, clare admodum tradunt Sacrae Paginae (a). Facta autem, propter aedificationem turris Babelicae, confusione labii, tot diversa paulatim orta sunt idiomata, ut sit omnino vel numerum saltem illorum inire difficile. Hinc itaque est, quod tanta inter multas lingvas intercedat affinitas & nexus, ut ad bene discendam & intelligendam unam, plurimum saepenumero conferat altera. Quod tanto confidentius affirmamus, quanto certius novimus, omnes, qui vel aliquam Philologiae operam navarunt, veritatisque rationem habendam putant, album huic sententiae calculum addere. Id vero cum praeterea, per singulas eundo,

A

osten-

ostendi posset, suo in primis exemplo comprobatur lingua Hebræa. Illa enim licet sit antiquissima, solaque primis temporibus in usu fuerit, ita jam inveterata obsoluit, ut nullibi locorum, nullique prorsus genti amplius sit vernacula, immo & lingvæ, olim copiosissimæ, ingentes divitiæ, unius hodiernum non adeo voluminosi codicis cancellis circumscriptæ reperiantur. Fit igitur, ut in filiabus ejus, præsertim lingvis Orientalibus, ad explicandum & in alias lingvas transferendum Codicem Sacrum V. T. opem & illustrationem quærere sæpissime necessum habeant Philebræi. Huic autem fini ut ceteræ non æque inserviunt; ita ex adverso plurimum conferunt Orientalium non paucæ, quæque præ reliquis ea propter filiarum titulo in primis ornari svere; suntque Chaldaica, Syriaca, Samaritana, Æthiopica & Arabica. Quod ut dudum agnoverunt eruditi, ita ipsis abunde constitit, nec singulas e lingvis modo laudatis, ad Ebrææ illustrationem paria facere posse. Quamvis enim minime negandum, Chaldaicam, Syriam, Samaritanam, Æthiopicam, aliquando suppeditare radices alibi frustra quærendas, vel commodiora certe earum significata: ubertate tamen & copia plurimum cedunt Arabicæ, adeoque in longe plurimis opem ferre haud valent, sed ipsæ potius, opis indigæ & ad magnam inopiam adaptæ, fœcundari expetunt. Arabica autem lingua, quæ omnium est ditissima, communique lingvarum cladi magis exempta, etiamnum lætissime viget floretque (b), plurimum in  
 se mo-

se momenti ad linguam Hebræam excolendam, adeoque etiam Lexicon Hebræum perficiendum, continet. De qua re impræsentiarum, pro ingenii modulo agere constituimus. Tuam vero interrim B. L. benivolentiam & favorem, qua par est, observantia expetimus, digneris pauca illa, quæ in tam ardua tamque magna re exponere valuerimus, mitiori perstringere censura.

(a) *Gen. XI, v. I.* (b) *conf. Cel Alberti Schultens Oratio de Lingvæ Arabicæ antiquissima origine, intima ac Sororia cum Lingvæ Hebrææ affinitate, nullisque seculis præstorata puritate, habita, Franquera d: o MDCCLXIX. item Ejusdam Orig. Tom. II. p. 30.*

## §. II.

**L**ingvæ Arabicæ, in perficiendo Lexico Hebræo utilitatem ostensuris, omnium primo & in antecessum incumbere certum est, eos exponere defectus, quibus in primis laborat, & ad quos supplendos externa ope indiget, ut sic sine impedimento & mora via proposita procedere liceat. Sunt defectus isti multi, & longe plures, quam, ut a nobis heic explanari queant. Potiorum autem, & qui ad scopum nostrum potissimum pertinere videntur, calculum inire paucis, ab instituto minime alienum arbitramur. Et primo quidem in eo deficere Lexica H. plurima deprehendimus, quod ibi frustra quærantur radices, quas angustæ Lingvæ Hebrææ reliquiæ, nobis non conservarunt, & quorum tamen derivata in S. Codice supersunt. Proxime &

hoc iis non immerito fortasse vitio verti poterit, quod radices nonnullæ etsi in L. Ebrææ reliquiis, rite excussis, habeantur; tamen cum aliis confusæ, & alieno loco collocatæ, e Lexicis exulare plerumque hæcenus coactæ fuerint. Vocum porro, cum ἀπαξ tum σπαρίως λεγούτων veræ ac genuinæ notiones nonnunquam desiderantur Propriæ & originariæ non rariorum modo, sed & sæpius occurrentium vocabulorum significationes primariæ maximam partem sunt adhuc in votis, idque ob magnam paupertatem, ad quam Lingva redacta est Hebræa. Quod si namque in opulentis & adhuc florentibus lingvis primariæ vocum notiones non nisi difficulter indagantur: non mirum omnino, idem in L. Ebræa evenire, cujus universæ pristinam ubertatem unius libri contineri limitibus satis angustis, a veri specie penitus abhorret. Jam autem, quum, teste saniorum Philologorum experientia, ad significationes primarias vocabulorum indagandas, magna requiratur librorum copia, quo sic pluribus casibus, in quibus vox aliqua adhibetur, inter se collatis, ad talem pervenire liceat notionem, quæ simplicissimum vocabuli usum sine ullo tropo in lingua florentem exhibeat, & ex qua omnes reliquæ, tanquam ex stirpe sua excrescant; palam est aquam hic in bene multis hærrere Philebræis, nisi aliunde lumen inferatur. Hinc verum est, quod dicit Cel. Schultens (c): *Quo angustius habitat, b. e. quo minus scriptorum habetur, eo majoribus difficultatibus, ac tenebris laborari necesse*



neceſſe eſt. Ponamus, ait porro, caſum cujus fingendi & ad propoſitum meum deducendi neceſſitatem imponit commune præjudicium, quo ſtatuſ queſtionis noſtræ vix cognitus nedum perſpectus gravatur. Superſint modo ex illa Græcorum affluente opulentiâ Thucydidiſ & Euripidiſ præclari labores, omni reliqua lingua penitus deleta & extincta. Quisquamne mortalium ſibi perſuadebit, aut aliis perſuadere conabitur, ſe ex indefeſſa & attentiffimâ volutatione illorum auctorum, tum ſpecialius, cujuſque ſententiæ pondus ac decus; eſſe eruturum, cum omni illo lumine quod ad primitivam indolem thematum deſiderari poteſt.

(c) in Libro de Deſectibus Hodiernis Lingvæ Hebrææ eorundemque reſarciendorum tutiſſima via ac ratione, Edit. Francoeræ A:o MDCCXXXI.

### §. III.

**P**orro hiſ ſupra notatiſ originem ſubinde debent alii nævi, quorum hic nonnullos leviter ſaltem tetigiſſe ſufficiat. Fit nimirum ſæpenumero, ut ſignificationum in uno eodemque themate divergia, quæ & interdum ſibi invicem adverſari videntur, ob latentem originariam notionem, vel citra neceſſitatem aucta, vel in concordiam non adeo feliciter apud Lexicographos redacta, vel ordine minus convenienti diſpoſita, modo derivata per familias nec admodum commode digeſta, obſervent eruditi. Huc accedit, quod cum thematum, tum etiam derivatorum, *ſādōs* ſeu pondus, em-

phasin & *ἰτεργειαν* non semper hucusque, ob adhærentem vocibus permultis magnam notionum secundariarum farraginem, detegere atque eruere licuerit. Hoc vero tanto minus mirum cuiquam videri debet, quanto certius constat, eam esse linguarum indolem & naturam, ut primariæ significationes in secundarias successu temporis abeant, & ab his quasi suffocentur. Nihil enim volubilius & ad diversos flexus pronius est quam lingua. Idque nec ignorasse veteres multa eorum testimonia evincunt. Sic etenim quod olim de mortalium vicibus Poëtarum Princeps Homerus, (\*)

*ὄηπερ φύλλων γενέη. ἰοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.*

*Φύλλα τὰ μὲν τ' ἀνευ⊕ χαμαῖς χέει, ἄλλα δὲ θ' ὕλη*

*Τηλεβόωσα φύει ἕαρος ὀ' ἐπιγίγνεται ὠρη*

*ὡς ἀνδρῶν γενέη, ἢ μὲν φύει, ἢ δ' ἀπολέγει.*

Id de linguæ mutationibus acute & eleganter inde cecinit Horatius:

*- - - - Mortalia facta peribunt,*

*Nedum sermonum stet honos & gratia vivax,*

*Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,*

*Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus:*

*Quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi.*

(\*) *Iliad.* z. v. 146.

#### §. IV.

**Q**ua ratione vero hisce de quibus hæctenus a nobis actum est defectibus, medela adferri,

cognitioque nostra Lingvæ Hebrææ perfectior reddi queat, nunc dispicere conabimur. Ad quod dum adtendimus, magnum omnino deprehendimus hoc in negotio eruditorum esse diffensum. Alii etenim ex versionibus omnem hic opem quaerendam contendunt, alii ex ipso Codice Sacro, sedula nimirum adtentaque disquisitione, locorumque adcurata collatione, his defectibus consuli posse putant. Quidam ex ipsis literarum ductibus, internoque quem ajunt, valore, Hjeroglyphicum quoddam Systema condentes, genuinas vocum significationes derivant, quidam denique Dialectos Hebrææ agnatas Chaldaicam, Syriacam, & Arabicam unam cum Æthiopica & Samaritana nec non puriore illa Talmudica, adeundas statuunt: maxime tamen opulentam & adhuc florentem illam Lingvam Arabicam consulendam volunt. Huic ultimo adlatæ sententiæ etiam nos adfensum nostrum denegare non possumus. Quod enim ad priores illas adtinet opiniones, magnis omnino premuntur difficultatibus, immo tantis, ut in totum illis adfentiri nequeamus. Licet namque versionibus, ipsius S. Codicis adtentæ lectioni, nec non sedulæ ac rite institutæ collationi suus neutiquam denegandus sit usus plane eximius, mediaque hæc & cetera, ad solidam Lingvæ Hebrææ cognitionem multum sint conducentia: tamen eousque non valent, ut in præsentî negotio, illis solis omnia tribui debeant. Unde etiam de versionibus omnes partium studio non dediti id tenendum existimant,

quod

quod in locis obscurioribus S. S. transferendis probabilitatem saltem adtingant, quodque eatenus illis sua constet certitudo, quatenus ex veris fontibus, mediantibus genuinis adminiculis, verum Sacrorum Scriptorum sensum eruerint. Cum enim versiones istæ omnes, etiam optimæ notæ, suis quoque non modo laborent nævis, verum & sæpius inter se pugnent, adeoque incertum, qui eas consuluerit, lectorem, in locis, ubi aqua interpreti hæere solet, plerumque dimittant: illas tollendis Lexici Hebræi defectibus minime sufficere patet. De Codicis autem Sacri lectione huc relata, vel ex ante dictis palam est, fieri non posse, ut cum in uno hoc Libro omnium vocum Hebraicarum origines & radices minime contineantur, hoc subsidium, etsi ceteroquin utilissimum, in vocibus rarioribus facem nobis præferat. Sententia porro illa de lingua Hebræa, ex ipsis literarum ductibus internoque earundem valore exsculpenda, totumque adeo Systema Hjeroglyphicum, tanto minus hic adtentionis aliquid postulare potest, quanto certius speramus, quemlibet facile concessurum, absurdam esse, & lubrico valde fundamento niti hanc hypothesin, quantumvis ingeniosam (d), quod & præterea demonstratum iverunt plurimi præstantissimorum Philologorum.

(d) conferatur, præter Carzovium in Crit. S. & auctores ab eo citatos, Dissertatio Cel. Prof. Benedicti RUDOR, Hypothesin Hjeroglyphicam, internique litterarum Hebraicarum valoris Sc. examinans, hab: Abæ A. MDCCXLIX. §. V. Tan-

§. V.

**T**Andem ad quartam accedimus nostram in Hebraicis cognitionem excolendi viam, pro instituti ratione exposituri quænam Lingvæ Arabicæ prærogativæ, huic fini obtinendo idoneæ, præsertim Lexico Hebræo perficiendo, tribui tuto queant. Inter potiores Lexici Hebræi defectus etiam illum retulimus, quod multæ ibidem occurrant voces derivatæ, quarum primitiva in Cod. Hebræo, frustra quænaveris, quodque primaria significatio multorum vocabulorum ignoretur a Lexicographis plerisque. Jam vero ostendi potest, Arabicam ab Ebræa ortam, matrem, per totum fere lingvæ ambitum, arctissima cognatione ac necessitudine referre, & pluribus de caussis, a prima origine ad hæc usque tempora, parum vel nihil communibus illis lingvarum vicissitudinibus expositam, pristinam ac nullis seculis præfloratam servasse puritatem. Cumque præterea ingenti copia ac ubertate ceteras Ebrææ filias longius antecellat; facile patet, ex ea potius, quam alia quacunque, multas Ebræorum radices deperditas feliciter restitui, multarumque primarias significationes ex Arabum scriptis hauriri & erui posse. Hoc vero ut jam dudum multi Præclari Viri evicerunt: ita & idem ulterius & ad oculum exempla, in sequentibus adferenda, commonstrabunt. (e) Radicibus autem primariæque significatione erutis, medela etiam, ut opinor, defectibus ceteris, §. III. enumeratis, adhiberi facile poterit. Qui namque illas certo sibi no-

tas habet, is omnino vocum significationes diffidentes inter se conciliare novit, is quoque significata vocum rite ordinare, & tandem cuilibet voci emphasin suam genuinam redere valet. Hæc autem quum in Lexico tradi debeant, manifesto adparet, eidem Hebræo, ex Lingva Arabica, gazæ, a matre Hebræa sibi concreditæ, fidelissimo custode, plurimum lucis adfundi posse. Non quidem ignoramus, in pluribus præterea cognitionem nostram, quatenus Hebraica adinet, ut e. g. in Grammaticalibus, integris loquendi formulis, Orienti propriis &c. hærentem, ab Arabum monumentis perfici & suffulciri posse; sed temporis & caussarum circumstantium habentes rationem, ea tacemus Lectoremque nostrum hoc scire cupidum ad Cel. Schultens mittimus.

(e) *Aræam admodum L. Arabica cum matre Ebræa intercedere convenientiam, adeo est evidens, totque luculentissimis exemplis & rationibus demonstratum, ut luci officeremus, si pluribus id evincere conaremur. Possemus certe facili negotio utriusque L. in Nominibus, Pronominibus, Verbis, Particulis, imo in universo lingua ambitu pulcherrimam & miram harmoniam ad oculum spectandam exhibere. Verum, cum hic concentus ex infra adducendis exemplis, qua partem etiam satis superque colligi queat; nos instituti facultatumque rationem habituri, cesses solum modo locupletissimos adpellamus Borbartum, Hottingerum, Schultensium, aliosque LL. OO. Coryphæos, qui hanc veritatem passim inculcarunt & ita dedere demonstratam, ut culpa cæciorem esse oporteat, qui eam in dubium vocare sustineat.*

## §. VI.

UT vero de his, quæ supra adtulimus, cuivis omnem dubitandi ansam præripiamus, & quo luculentius veritas adfertur nostri adpareat, nonnulla exempla, non quidem optima & maxime selecta, sed quæ semet nobis hæc cogitantibus obtulerunt, subjungere lubet. Agmen ducant radicum Hebraicarum illæ, quas obsoletas, seu deperditas, appellare solemus. Has, dialectorum ope, dudum in lucem revocari, & in primis, suppetias ferente L. Arabica, restitui cœpisse, res est notissima. Ejus rei documenta illustria, quavis fere pagina, Lexica recentiorum, Stockii, Reckenbergeri aliorumque nobis exhibent. Sic e. g. quid קָלֵי Hebr. olim significaverit, unde קָלֵי *vox, sonus* &c. docere nos potest קָלָא Arabum, quod *sonuit, dixit, pronunciavit*; hodiernum valet, אָל in Cod. H. non occurrens, Arabica exponit Dialectus. Hæc enim אָל *avele, defecit, defecit*, nobis servavit. Unde אָל *stultus*, sic dictus, quod deficiat a rectæ rationis usu, & legis D. via. Nec sine specie conferas אָל, Arab. med. vau, *incrassuit liquor*: ita ut stultus dictus sit, quasi *incrassatus*, crasso vel stupido judicio præditus. Nam verba *crassitiem* notantia, ad *stupiditatem* referuntur. Sic & Græcis κρᾶσις, sensu eodem. Plura huc spectantia recensere, quod cuivis sint obvia, minus necessarium arbitramur. Sequantur ejusmodi radices, quæ licet in Codice Hebræo reperiantur, plerumque tamen a Lexicographis perperam omisæ, ope Lingvæ Arabicæ

rabicæ restitui possunt & debent. Sic v. g. יתם, infans, pupillus f. indeque מיתם Pf. XIX. v. 14. cf. יתם arab. id. Quod enim alii locum cit. ad תם referunt, id coacte fieri quisvis perspexerit. נכת Radix H. e Lexicis exulat. Legitur tamen ויכתו Num. XIV. v. 45. cf. Deut. I. 44. quod ad כת sine causa, refertur. Lucem accendit Arabum נכת *punxit, pungendo tutudit.* Hinc *tundere terram*, dicitur, qui transfossus, terram mordere cogitur, & in caput deturbatur. Hinc igitur, elegantissime in hiphil Num. I. cit. ויכום ויכתום & *percusserunt eos, & fecerunt, eos tundere terram* capitibus. Hinc & וכת Ef. XXIV. 12. &c. Ad hanc classem etiam pertinet נטר Hebr. indeque תטר Ex. XXIII. 21. Referunt nonnulli ad טר non sine anomalia. Mollius alii ad נטר. Succurrit Arabica vox נטר *maligna indole fuit.* Hinc & Hebræis in Hiph. *malignum, præfractumque se gessit.* Sensus igitur erit I. cit. ne *præfractum te geras*, erga eum. Radicis טעה quam in Lexicis, plerisque frustra quæsiveris, eadem est ratio. טעה inde deductum Pf. LV. v. 9. ad נטע Rabbīnorum nonnulli, ut particip. benoni Kal, vel ut nomen *professionem* notans, referendum censent, contra licet nitente Elia, qui Nun in Participiis, aut nominibus, non excidere putat. LXX interpretes, טעה רוח *δαιμονιας* reddunt, eosque secutus Vulg. *puffillanimitas Spiritus*, habet, ad טעי ut videtur, Arabum respiciens, quod *mæstum, Solllicitum esse*, significat. Minus tamen congruum hunc sensum quisvis facile iudicaverit, qui perpenderit



וְנִי *ventum* h. l. notare. Suppetiatur L. Arabica  
 radicem sistens עִשׂ quæ *incedere* valet, *proficisci*, *cur-*  
*rare*. Est igitur nostra phrasis *ventus currens*. Id A-  
 rabibus, de *ventis*, in primis *procellosis*, admodum  
 familiare. cf. si lubet, Alcoran. Sur. 38: 35. it.  
 21: 81. Adeoque radicem Ebræam עִשׂ e tenebris  
 in lucem, ope Arabicæ Dialecti, reductam, Lexico  
 inferendam inde patescit. Allatis exemplis subjun-  
 gi alia plura possent: sed arcti, quibus circum-  
 scribimur, limites, hisce contentos nos esse jubent.  
 Prodeant vero jam illa themata, quibus origina-  
 riam significationem Dialectus restituit Arabica.  
 Vox דָּבַר frequens admodum, sed πολὺσημῖος, adeo-  
 que diversis significatis, in concordiam redigendis,  
 tum & nexui demonstrando, radicem inter & de-  
 rivata, illius notione primaria opus esse patet. A-  
 rabum דָּבַר *debaræ*, *pone fuit*, *per seriem duxit*, si-  
 gnificat. Quin hæc Hebræis primaria fuerit notio,  
 radicis hujus in Cod. S. varius usus, nec non de-  
 rivata omnia sole lucidius evincunt. Hinc enim  
 vulgatissima *loquendi* notio, i. e. *ducendi verba*. Qui  
*pone vel a tergo* aliquem agit, vel ipsius quasi ter-  
 go imminet, is & interdum insidias ipsi, & ma-  
 chinas fruit, dolose loquitur, ut decipiat. Hinc &  
 illa voci דָּבַר tribuenda notio, Lexicographis pleris-  
 que non perspecta, cujus tamen exemplum eviden-  
 tissimum exhibet Gen. Cap. XXXIV. v. 13. ubi  
 dicitur: Et responderunt filii Jacobi Sichemo &  
 patri Hemero dolose, וַיִּדְבְּרוּ quia violaverat Di-  
 nam sororem eorum. Si enim וַיִּדְבְּרוּ cum Chal-

δαο לי לי & locuti sunt, cum δ', καὶ ἰδύσσου reddi-  
 deris; habebis h. l. pleonasmum, cui in tota L. H.  
 parem vix invenies. Nec patet, qua auctoritate,  
 hanc vocem & *sciverunt*, dederit Vulgatus. Tollit  
 difficultatem, sensumque liquidum parit Arabissimus.  
 Is in II. conjug. *Debbare* nobis conservat, i. e. *do-*  
*los struere, machinari*. Reddas igitur h. l. & *ma-*  
*chinas struxerunt, quia violaverat Dinam sororem eo-*  
*rum*. Fortasse huc referri etiam poterit, 2. Chron.  
 XXII: 10. & Hof. X: 14. Hinc facile fluxit *per-*  
*dendi* notio. Fluxere quoque derivata reliqua, רבד  
 pestis, i. e. *perditio, abducentis* omnis generis homi-  
 nes. רבד *caula*, seu *ovile*, quod oves eo semper  
*ducantur*. רבד *rates*, a *ductu nautarum*, רבד *a-*  
*pis*, quod *ducem* agnoscant hæc animalcula. רבד  
*desertum*, h. e. *locus*, quo pecudes *pabulatum du-*  
*cuntur*. רבד propr. *luxit, Splenduit*. רבד, Arab. id.  
 inde *Splendidum fecit, laudavit, gloriatus est, insani-*  
*vit*. Et sic porro. רבד, verbum maxime *πληθύνω*,  
 cujus undecim diversos significatus recensent non-  
 nulli. רבד Arab. docet hanc vocem de *ure-liquo-*  
*rem non continente*, primario fuisse acceptam. In-  
 de *rumpendi, erumpendi, respondendi*, & reliquas  
 notiones succrevisse, non dubitamus. Has tamen  
 omnes evolvere non licet. רבד pr. *torisit complica-*  
*vit*, Arab. רבד idem. indeque *expectavit* i. e. *stem*  
*intendit*. Hinc in Niphal, *confluere, colligi*, i. e.  
*contorqueri* Sic derivatorum, *funiculi, spei, neti,*  
*fili mensorii* &c. cum themate nexus adparet. An-  
 non & hinc, *clamarvit*? Nimirum *vocem intendit,*  
contor-

*contorsit.* Quam significationem huic radici non obscure vindicat Pf. XIX: v. 5. coll. Rom. X: 18. it. Pf. XXVIII: 10, 17. XXXIV: v. 11, 17. conf. etiam Arab. קור *clamare, vociferari; exclamare.* ככס Pih. propr. *comprimere, subigere, & sic sordes eluere.* ככס Arab. id. cf. Hebr. ככס & ככס, quæ verba notionem allatam firmant. Hinc igitur fluxit כובס *fullo, vestes in aqua macerans, comprimens.* Confer Arabum כאכוס *Kabûs, incubus, ephialtes.* כסף prim. *pallidus fuit; inde desideravit.* hinc כסף *argentum.* Similiter זהב *aurum, a colore splendido, fulvo, dictum potius, quam זהב hoc da, quæ Guffetii lepida est etymologia. confr. זהב Hebr. & tsabebæ, Arab. colorem rutilum, flavum habuit, הנה Hebr. prim: mercedem dedit, inde laudavit, celebravit.* Hoc evincit radix חנה, *laudibus celebrare.* Hinc תנה *laus* Pf. VIII: 2. תנה Arab. id. vox, qua locupletandum etiam putaverim Lex. Hebræum.

§. VII.

**P**AUCIS quoque B. L. accipe exempla vocum, quibus vel novam & in Lexicis vulgo non memoratam, significationem e L. Arabiæ penu depromi, vel sine causa a Lexicographis admissam, ejusdem ope, eliminari posse patebit. גרו Hebr. propr. *Secuit.* Inde *abire, transire.* e. g. Pf. XC:

10. חיש ונעפה LXX: & Vulg. plus heic te-  
 nebrarum quam lucis adferunt. Vulgo redditur;  
*quia absconditur festine* &c. Nobis vero reddendum;  
*quia velociter transit.* *Transseundi* enim significatio,  
 quia continuatam exhibet metaphoram, heic no-  
 tione *secandi* aptior videtur. Sic & גָּזַע Arab. *Dgiā-*  
*zæ, abiit, transvit:* in IV. conj. *secare*, Secare viam,  
 iter, desertum, aliaque his similia passim frequen-  
 tant Arabes. Sic & cognata גָּזַע & קָטַע *secare* &  
*transire* significant iisdem. חָרַג Pf. XVIII: v. 46.  
 vulgo ex Chaldaismo, *trepidavit, horruit.* Id vero  
 cum sequente סָטַסְגְרוּתִיהֶם minus apte convenit.  
 Potius וַיִּחְרְגוּ & *exibant* e claustris suis. חָרַג Ara-  
 bes, hac significatione frequentissime usurpant. עָפַל  
 in Hiph. *neglexit.* Sic illustratur locus obscurior  
 Num. XIV. 44. ubi, *neglectui habuerunt* (sc. mo-  
 nita Mosis) ascendendo in montem. Convenit  
 hic sensus cum verbis Mosis Deut. 1: 48. Locutus  
 sum vobis, at aures non præbuiſtis וַתִּזְרְרוּ  
 וַתַּעֲלוּ הַהָרָה, & superbi fuistis, sc. non attendendo  
 & neglectui habendo monita mea &c. Sic enim עָפַל  
 Arab. *Gafaks, negligendi* sensum amat. *Ain* Ebræ-  
 orum in *Gain* Arabum transire, non est, quod  
 moneam. כָּרָר olim Hebræis, *Saliit, insiliit*, indeque  
 כָּר *aries*, cet. Hanc vocem per pratum exponunt  
 nonnulli, etiam magni nominis viri. Duobus locis  
 Jes. c. 30. 24. & Pf. LXV: 14. occurrere illam no-  
 tionem contendunt. Sed non opus est, ita vocem  
 כָּר locis illis exponere. Arietis enim notionem  
 commode admittunt. Et verba Esajæ quod atti-  
 net,

net, illa sic habent; כיום ההוא כר נרחב  
 Mitto aliorum interpretationes: sic egomet reddi  
 posse commode arbitror; *pascet pecus tuum, die illo:*  
*agnus dilatabitur,* i. e. spatium, in quo pascitur,  
 latum erit. Sic & Deut. XXXIII: 20. מרחיב גר  
*dilatans Gadum,* i. e. illi ampla loca concedens.  
 Nec major necessitas; Pl. LXV: 14. *prati signifi-*  
*cationem admittendi.* Verba namque לבשו כרים הצאן  
*induunt arietes oves,* aut, *vestiuntur arietes ovibus,*  
 exponas, & res erit in vado. Habebis sic phra-  
 sin, honeste arietum cum ovibus copulatio-  
 nem exprimentem. Sic Arabes; *induit eam,* i. e.  
*confoevit.* לחמה Arab. vestis & conjux: it. זמן  
 indumentum atque uxor. Tandem & לבאש A-  
 rab. utramque notionem admittit, non, minus ac  
 ipsa radix לבש, quod pluribus ostendere non vacat.

§. III.

**E**Xposita sic breviter insigni utilitate L. Arabi-  
 cæ, in Lexico Hebræo emendando, illud et-  
 iam monuisse juvabit, non novum nos heic urge-  
 re subsidium, solidiori L. Hebrææ cognitioni com-  
 parandæ idoneum. Constat enim hoc jam ab an-  
 tiquioribus inde temporibus instar promi ut ajunt,  
 condi, in restituendis radicibus significationibusque  
 Hebraicis fuisse adhibitum. Hoc Rabbiorum do-  
 ctissimi, usi fuerunt sapissime, & si boni quid ad  
 difficiliora loca illustranda afferunt, id plerumque  
 ex Arabismo desumptum observamus. Huc non  
 raro antiquas respexisse versiones, varia sunt, quæ  
 in p  
 G  
 pro-

probant. Hoc medio inter alia, ad finem suum obtinendum usi sunt Viri alii in orbe Literario multum conspicui. Quanti usum hujus Lingvæ fecerit, non Bochartus ex hisce ejus verbis intelligere datur: *Nil mihi tam profuit quam Arabicæ lingvæ qualiscunque cognitio, & paucis interjectis: itaque si quis Arabum Scrinia sedulo compilaret, plura ex iis eliceret ad solidam Sacræ Lingvæ cognitionem, quam vel ex vasto illa Talmudicorum farragine, vel Magistrorum commentariis omnibus.* (f) Non diffitendum, multos varia contra usum Arabicæ in L. Ebræa insignem objicere solere. Sed sunt hi fere ex eorum numero, qui vel alii hypothese serviunt, vel L. Arabicæ minus periti, veritatem videre nequeunt. Guffetium, & Driessenium refutavit magnus Schultensius, Ferraccium Kromajerus, alios alii. Nobis, ad metam tendentibus, tela contra thesin hanc vibrâti solita, excutere & repellere jam non licet. Si vero exiguo hõcce specimine, usum L. A. cetera quoque utilissimæ, etiam in difficilioribus Codicis Hebræi locis illustrare & Philebræis commendatum reddere contigerit; erit id de quo nobis in sinu gratulabimur.

(f) *In Praef. ad Hieroz.*

§. IX.

**Q**uo vero magis pateat Lingvam a nobis commendatam, non facile minus esse, si debita adhibeatur industria, quam utilenam: utque eò majori studio has delicias sectari pergant populares, qui

qui Fennonicæ simul Lingvæ multis nominibus commendandæ, justum tribuere pretium norunt: appendicis loco, brevem subnectere catalogum vocum Fennicarum cum Arabicis amice convenientium adgrediar. Sunt vero illarum hæ potiores, festinanti calamo obvenientes, quas mitiori Candidi Lectoris censuræ submittimus.

Fennicum *lyntilä* *candela*, cum Arabico *kindilon lampas* Fenn. *kurki* / *grus*, cum Ar. *Kurkijon idem*. Fenn. *keritän* / *tondere*, cum Arab. *Karätä sequit in partes*, & quod ex hoc descendit *Kurton*, genus *fæni Burgundici* cum Fenn. *forte* / *genus graminis cujusdam*. Fenn. *härshetti* / *irritavit inter se homines vel canes* cum Ar. *barräschä*, idem. Fenn. *kaappi* / *manibus ad se rapuit vel traxit* cum Arab. *Käffä*, *manum extendit elemosynæ causâ*. Fenn. *käsi* / *cubitus, manus*, cum Arab. *kayson*, *cubitus*. Fenn. *kaakso* / *colymbus*, cum Arab. *kaakon*, *nom. avis aquaticæ*. Fenn. *raacua* / *vaciferari* cum Arab. *raga*, *raakua* & *raacuwainen* cum Arab. *raguvon*, *multum vaciferans*. Fenn. *lehmä* / *vacca*, cum Arab. *libmon*, *annosus taurus*. Fenn. *hirmuinen* / *immanis crudelis*, cum Arab. *birmon*, *vetium illicitum*. Fenn. *harmi* / *dividia*, cum Arab. *harmon*, *desperatio*. Fenn. *tillsä* / *bebes*, & *tillsä*, *nix illa glabra, quæ unguis jumentorum adherens gressum illorum retardat*, cum Arab. *thilsen*, *tritius, levis, glaber*. Fenn. *sipparoitte* / *salit*, *gressus minutando cito incedit*, cum Arab. *thafärä*, *assilvrit*, *equitavit pedibus equi sub ventre corpori adaptis*. Fenn. *tärppä* / *acbaret um. res aliqua desiderata*,

derata, cum Arab. *ibarāfa*, adportavit rem novam,  
 Hinc etiam dicitur Fennicum: *Jos ei hāu tārpā  
 pā tāstā patcasta, nñu hāu tārpā toifesta.* i. e. Si  
 non adheret ex hoc, adheret ex alio loco. Fennicum  
*turwet / cespes*, cum Arab. *turaabon*, *humus*, *terra*.  
 Fenn. *ansa / bamus* vel *laqueus* cum Arab. *anson*,  
*flexus*, & *curvatura ligni*. Fenn. *māšā / tumultus*,  
 vel *clamor iratus*, In nonnullis Dialectis, cum Arab.  
*māsson*, *adfectus speciefve furoris*. Fenn. *kelwen / le-*  
*vis*, cum Arab. *kālvon*, *levis agilis*. Fenn. *haccka*  
*scil sana / contentiosum verbum*, cum Arab. *hharak n*,  
*ira*, Fenn. *kirsi / pars humi frigore hyeme congelata*,  
 cum Arab. *karson*, *frigus aere*. Fenn. *sacko / mul-*  
*cta* cum Arab. *Saakon* *vehementia*, *gravitas*, *afflictio*.  
 Fenn. *hala / concupiscit*, *adpetit*, item *hala / ample-*  
*xatur*, cum Arab. *hhalā*, *dulcis* & *svaris* *fuit*, *it.*  
*dulce habuit* & *vocavit*. Fenn. *surma / interimit*,  
*trucidat*, cum Arab. *Sarāmā*, *resequit putavit*, *repetito*  
*ictu*, *durum se monstravit*. Fenn. *sārmā / pars rese-*  
*cta*. cum Arab. *Sarmon*, *idem*. Fenn. *arwa / conjici-*  
*cit*, cum Arab. *Arāfa*, *sciscitatus est cognoscendi ergo*.  
 Fenn. denique *mabla / liquor*, *qui vere ex arboribus*  
*elici potest*, cum Arab. *mublōn*, *pix liquida*, *tenuis*.  
 Plura quibus jam enumerandis superfedere angu-  
 stia harum pagellarum, nos cogimur, L. B. Ara-  
 bum Scripta pervolventi passim occurrent. Sed  
 manum de tabula.

\* \* \* \* \*